

De secundo exitu Nobilium de civitate.^a

CAP. XXI.

A nativitate Christi anno mcxv / Guido de Manfredi, Surardus de Muro [a], et alii quamplures nobiles exiverunt Faventiaⁿ, guerram a castro Cunii civibus inferentes [b]. Albericus non exivit tunc; sed domum suam ex domibus illorum postea fecit.

De Cometarum apparitione [c], de Solis ecclipsi, aliisque meteoris.

CAP. XXII.

Anno Domini mcxi (mcxvi?) cometæ apparuerunt; dies / circa horam nonam / conversus est in noctem profundam; sanguis pluit..... [d]. *pluere videbatur.*

Quando Cunium primo fuit obsessum.

CAP. XXIII.

Postquam Sancti Spiritus gratia Faventinos ex multis liberaverat angustiis atque pressuris, ipsi cives, vivere optantes pacifice, comites de Cunio et alios, qui in eodem habitant castro [e], rogaverunt, ut ab inquietatione desisterent, et de damnis [f] et injuriis, civibus ab eis sine ^{causa} illatis, satisfacerent competenter. Quorum preces comites prorsus audire ^{non} volentes, cives penitus habuere ludibrio. Quare Faventini, dolore inflammati maximo, anno ab Incarnatione divina mcxxxv cum comite Guidone [g] 15. Guerra [g] prædictum castrum obsederunt, quod manganis et aliis tormentorum generibus per quinque expugnaverunt hebdomadas [h]. Petra vero mangani Guidonem Traversarium occidit, qui cum multis Ravennatibus se in eodem concluderat castro [i]. Videntes Faventini, quod adiutorium Bononiensium et quorundam aliorum, antequam Ravennates castro succurrerent, habere nequirent, reversi sunt domum, licet non plena usi victoria. Hoc quidem anno, præfatus comes Guido Guerra migravit ad Dominum.

[a] Surardus de Muro, C. V. Surardus de Muro videtur quoque habere C. M.; at alii legunt: Sutardus de Muro. — [b] Civibus inferentes, Codd.; non inferendo, ut alii legunt. — [c] De cometarum apparitione etc. Totus hic titulus, cum deesset, additus a nobis est. — [d] Sanguis pluit. Verbum pluit, cum subsequente, in Cod. M., oculos effugit. — [e] qui in eodem habitant castro, Codd. M. et V.; at Cl. Mitt. legendum putat: habitabant. — [f] et de damnis. In C. M., et de dampnis. — [g] comite Guidone Guerra. In C. M., comite Guidone G. — [h] per quinque expugnaverunt hebdomadas. In C. M., loco hebdomadas, legitur edomadas. — [i] concluderat castro, C. V. In C. M., concluderant castrum.

[A] Ab hoc Guidone Guerra originem trahere comites Guidios de Bagno author est Greg. Zuccul. in sua Versione Italica, p. 70. Quo vero fundamento innitatur ejus opinio, fateor me ignorare.